UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1860

XXXII. Busso von Greifenberg, Pfarrer in Königsberg, bekundet die Stiftung eines Altares in der Pfarrkirche daselbst mit der Mühle zu Mantel, am 21. Januar 1331.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55515

Visual Library

darto tholeydenn, ſunder Etligen vorbidendt. Thu mher warheyt vnnd Tugeniſſze hebbenn wy vnnſze Ingeſegell diſſzen ſchrifften nedenn lathenn anhengenn, Tuge, dy hir by geweſt, ſindt Hinricus vann ſtegelytzs, Hinricus vann Sydow, Beteke van Holſcendorp, Hermannus vonn Wuſzkow, Ridder vnnſzes hoffes, vnnd ſele mher vnnſzes hofes geſinde loffwerdigen. Datum Prentzlow, Anno domini Milleſimo Tricenteſimo vigeſimo Nono, In die Jheronymi.

Nach einer alten Ueberſetzung im Königsberger Stadtarchive No. 26.

XXXI. Henning und Cuno von Fiddichow überlaſſen dem Rathe zu Königsberg zehn Wiſpel Getreidepacht aus einer auf dem Stadtfelde an der Röreke gelegenen Mühle, am 2. März 1330.

Multa ſuboriri ſolet de geſtis rationabilibus hominum calumpnia, niſi ſigillatis apicibus et ydoneis teſtibus talia ſunt communita. Proinde nouerint vniuerſi preſencia percepturi, Quod nos henninghus et Cuno, fratres, dicti de videchow, viua voce recognoſcimus publice proteſtando, Quod prouidis viris et honeſtis conſulibus ciuitatis konnigeſberghe, preſentibus et futuris, vnanimi voluntate et concordi Decem choros ſiliginis dimiſimus et preſentibus dimittimus in ſupremo molendino in metis agrorum dicte ciuitatis ſuper aquam, que dicitur Roreke, ſituato, quod wlgariter dicitur molendinum relicte Anſelmi, quolibet ſeruicio proculmoto. Ceterum eciam recognoſcimus, quod quandocumque placuerit voluntati predictorum conſulum, tunc nos et noſtri heredes vniuerſi porrectionem ſiue collacionem prefatorum bonorum coram domino noſtro marchione eis debeamus dimittere et velimus, ſeruicio omni excluſo. Ne autem huiusmodi dimiſſionis contractus ab aliquibus in poſterum infringatur, preſentem paginam ſuper hunc confectam predictis conſulibus dedimus noſtrorum ſigillorum munimine roboratam. Teſtes huius ſunt dominus henninghus de Sydow, Dominus nicolaus Albus, milites, hynricus plotze, famulus, et alii quam plures fide digni. Datum anno domini milleſimo trecenteſimo triceſimo, feria ſexta ante dominicam Reminiſcere miſeracionum tuarum domine.

Nach dem Originale des Königsberger Stadtarchives No. 27.

XXXII. Buſſo von Greifenberg, Pfarrer in Königsberg, bekundet die Stiftung eines Altares in der Pfarrkirche daſelbſt mit der Mühle zu Mantel, am 21. Januar 1331.

Noverint univerſi preſencia viſuri vel audituri, quod ego Buſſo de Griphenbergh, plebanus in Konningesbergh, recognoſco viva voce lucide proteſtando providos viros et multum

honeſtos dominum Nicolaum de Splintervelde, ſacerdotem, et Georgium, patruum ejus cognominis ejusdem, civem in Berenwoldis, coram me comparuiſſe et in ſuorum remiſſionem criminum progenitorum atque in propriorum abolecionem ſcelerum, molendinum prope villam Mantel ſituatum cum proventu quocunque et omni jure ad ipſum ſpectante ad unum altare in eccleſia beate Marie in Koningesbergh pure propter Deum dotaviſſe, cui inquam facto conſencio tali modo, quod omnibus vite mee temporibus altare predictum quando vacabit, debeo conferre pure propter Deum, me autem de hoc mundo ſurrepto ſecundum dominice voluntatis diſpoſitionem dominus Nicolaus predictus et Georgius prememoratus et ſui heredes ſupradicti altaris erunt collatores. Preterea quidquid de votiuis de ſepedicto altari poterit derivari, Hoc meo uſui vel meorum cedat ſucceſſorum. Teſtes hujus contractus ſunt conſules civitatis Koningesbergh infraſcripti, videlicet Jacobus de Tzwet, Matthayas Hufnagel, Conradus Clemptz, Meinekynus de Bernwoldis, Johannes Crummenſe, Tydeken Steuen, Hynricus de Stendal, Rudengerus de Plone, Gerardus et Jacobus de Narthuſen, qui cum ſigillo civitatis predicte una cum meo et ſigillo domini Nicolai, ſacerdotis preallegati, atque Georgii antedicti preſencia roborarunt, Anno domini MCCCXXXI, ipſo die Agnetis virginis et martyris glorioſe.

Aus Dickmann's Urkunden-Sammlung des Königl. Geh. Staatsarchives f. 185, übereinſtimmend mit dem Originale No. 28 des Königsberger Stadtarchives.

XXXIII. Die von Sidow überlaſſen einem Bürger in Königsberg ihren See Crimow wiederkäuflich, am 26. Januar 1332.

Que geruntur in tempore, ne ſimul labantur cum lapſu temporis, expedit ea literis ſigillatis et teſtibus ydoneis firmiter communiri. Noverint igitur univerſi preſens ſcriptum viſuri vel audituri, quod nos Henningus de Sydow, miles, habito noſtrorum filiorum et heredum conſilio maturo provido Viro et honeſto Nicolao Culebars, civi in Koningesbergh, ſueque probe conjugi Kriſtine et honeſte atque ſuis heredibus veris, cujuscunque fuerint ſexus, ſive maſculini vel feminini, ab ipſo hactenus generatis vel impoſterum legitime generandis, pro centum talentis denariorum brandenburgenſium rite et rationabiliter vendidimus in verum pheodum noſtrum ſtagnum, Crymo dictum, cum omni juri ad ipſum ſpectante et proventu quocunque ab eo derivante, quoquo cenſeatur nomine, Uno cum paruis retibus piſcatore dumtaxat excepto, Qui omnia piſcium genera in prefato ſtagno natantia licite poterit piſcari ad noſtri vel noſtrorum heredum utilitatem, excluſo tamen uno genere piſcium, quod plaſma, id eſt braſmen, vulgariter nuncupatur, Et excepta parte canne dimidia in hoc ſtagno annuatim ſubolentis, quam ad noſtros atque noſtrorum heredum uſus nobis ſpecialiter reſervamus, Iſta conditione arcius intercluſa, quando nos vel noſtri heredes Nicolao Culebars predicto vel ſuis heredibus legitimis centum talenta brandenburgenſium denariorum pagaverimus vel pagaverint, tunc ſtagnum prenarratum ad noſtros vel heredum noſtrorum uſus libere redibit velut ante. Ceterum apponimus, quod Nicolaus Culebars antedicto viam univerſe carnis juxta Domini voluntatem ingreſſo, tunc ſtagnum prefatum ſuis cum proventibus cunctis, ſicut ſuperius